IOANNIS CALVINI IN ACTA SYNODI TRIDENTINAE Censura, & eiusdem Breuis Confutatio, circa duas praecipue calumnias.

Per Ioannem Cochlaeum.

ELENCHVS Capitulorum e Sex Libris D. Conradi Bruni, De Concilio Vniuersali.

APVD S. VICTOREM PROPE Moguntiam, ex officina Francisci Behem Typographi.

M. D. XLVIII.

REVEREN-DO PATRI AC DOMINO D. ERASMO STRENbergio Canonico Tridentino, Opt. ac Humaniss. uiro S. P. D.



Valis fuerit Tridenti in Oecumenico ibi celebrato Concilio & uitæ integritas, & doctrinæ sanæ soliditas, conuersationisq; honestas, Venerabilium patrum: qui authoritate publica & uocatione legitima, non solum summi Pontificis, sed etiam Imperatoris Augusti, aliorumq; Regum & Principum atq; Communitatũ, isthuc conuenerant: neminẽ inter Germanos puto melius aut certius nosse, quã nosti tu, ERASME Pijssime pariter & humanissime, qui perpetuo præsens istic, omnibus Tractatibus sessionibusq; interfuisti, multorumq; ex ijsce Patribus officiosissimus & hospes & confabulator, multa cum animi iucunditate extitisti.

Quare tuo unius & testimonio & iudicio, longe iustius securiusq;, tum de personis, tum

Calumniatores Concilij Trid. *de actis istius Concilij creditur, quam uel Mille Melanchthonibus, Caluinis, Buceris, & id genus alijs Calumniatoribus: qui longe abfuerunt, & implacabili odio pertinaciq; contradicendi studio, nihil ex fide, nihil ex uero (ut scribit nominatim de Bucero Doctissimus Antistes in Anglia Stephanus Vintoniensis) dicunt & scribunt, atq; testantur: sed ex amarulento animi affectu, atq; inimico, in quoslibet Catholicos corde, iudicioq; deprauato, temere profundunt omnia, quaecunq; seductos a se populos in excitata discordia, & rebellione conseruare possint. Vt merito possimus* Psal. 51. *unicuiq; eorum exprobrare illud Psalmistae, Dilexisti maliciam super benignitatem, iniquitatem magis quam loqui aequitatem. Dilexisti omnia uerba praecipitationis lingua dolosa.*

Mihi certe unius Claudij Iaij, religiosissimi Claudius Iaius Orator Card. Aug. *iuxta integerrimiq; uiri, testimonium de illa Congregatione, quod e Tridento ad me scripsit, contra omnes maledicorum calumnias, abunde sufficit: dum ille, ut uno uerbo summatim omnia complecteretur, breuissime scriberet. Ibi non aliam sibi uideri Patrum uitam & conuersationem, quam ea est, quam uidit ipse mecum olim frequenter in Rebdorf: ubi fratres illos ordinatissime simul ac religiosissime uiuere, contestantur om-*

nes

nes tam Clerici quam Laici, quicunq; Eystadij degunt, in ciuitate illi Monasterio quam proxima.

Quamuis uero commune sit omnibus Lutheri Zuinglijq; propugnatoribus & discipulis, male sentire & inique iudicare, tam de actis quam de personis, istius legitime congregati ac celebrati Concilij: præ cunctis tamẽ alijs contra illud, magis impius, iniquus et malignus uidetur mihi Io. Caluinus, natione Gallus, qui propter hæreticam labem (qua supra omnem leprosorum fœditatem abominabilis & contaminatus est) profugus & proscriptus, ex Christianißimo Franciæ Regno profugit ad Zuinglianos: & e nobili Allobrogum Ciuitate Gebenna (quam ipse Geneuam uocat) uirulentißimum nuper euulgauit libellum, tum generaliter contra quaslibet Patrum personas, tum specialiter & nominatim contra F. Ambrosium Catharinum, Episcopum Minoricensem. Io Caluinus. Ambro. Catharinus.

E cuius ego libris nonnullis, excerpsi ac ædidi nuper uerum & perpetuo constans ipsius de Lutheri persona, & doctrina iudicium: ut uel sero ex eo cognoscerent pleriq; Germaniæ populi, qualem per tanta rerum corporumq; & animarum pericula, tot iam annis, secuti sint Euangeli-

stam nouum pseudoq; Prophetam. Quam ini-què autem & calumniosè de Catharino hoc no-stro, iudicet scribatq; Caluinus iste, Patriæ suæ infamis desertor, & publicus fidei Religionisq;, & Ecclesiæ Catholicæ hostis: qui & superbissi-mam iuxtà impudentissimamq; sibi, super omnia Acta & Decreta huius nostri Tridentini Concilij censuram, propria præsumptæ temeritatis auto-ritate, arrogare non ueretur: Tu, qui et Cathari-num optimè ac familiarissimè cognoscis, & Con-cilio præsens per omne tempus interfuisti: facile iudicabis, siquando Caluini librum perlegeris. Mihi unicum eius exemplar casu allatum est, nu-per ex Nundinis Francfordiensibus, Idq; non in-tegrum: uideo enim circa finem nonnihil de-esse.

Vt igitur qualencunq; gustum eius amarulen-tiæ accipias, Catharinoq; omnia impertiri queas, paucis rêspondebo breuiter ad duo duntaxat, tam maledici Censoris iudicia, quæ protulit ille tum in personam Catharini, tum in Decreta Conci-lij de Confirmationis sacramento: Ad plura enim respondere, nunc non permittunt mihi hîc alia multò urgentiora negocia. Ex his autem duobus citò conijcere poteris, quid de uniuerso Caluini libro sentiendum sit Catholicis.

Verba

Verba Caluini de Catharino

D. 5.

INstat deinde suam buccinam Ambrosius Catharinus, ex ordine Dominicanorum, uetus ille Lutheri Antagonista: quem ego putabam, ante annos 20. pudore confusum, in obscuras latebras se abdidisse. Tāto enim dedecore a Luthero, nouitio adhuc milite, prostratus fuerat, tam fuerat turpiter Ordinum omnium consensu exibilatus, ut prodire in hominum conspectum, si saperet, nunquam debuerit. Nunc autem, ut uideo, Bulla Concilij publicata, quasi Edicto Iubilæo excitatus, tanquam nouus homo, in lucem rursus prodit. Idem tamen est, qui prius erat. Ergo qui Catharini insulsitates aliquando legerunt, nescirent putridum illud cadauer adhuc spirare, nisi Concionem in Synodo habitam legerent: ubi Christi mater fidelißima eius socia uocatur, & aßidere fingitur eius Throno, ut gratiam nobis impetret. Multi ante hac impudentiæ suæ frena laxarunt, sed qui sociam Christi nominaret, dum fictitijs titulis uolunt ornare sanctam uirginem, inuentum puto neminem fuisse. Et uocem adeo sacrilegam, in tali consessu prolatam, & exceptam non paruo fauore, posteritas nunquam credidisset, nisi ab illis publicata fuisset oratio.

Extant utriusq; adhuc libri, de quibus Lectoris esto iudicium.

Impia reprehensio

Quid enim est Christum lacerare, si hoc non est? Proinde quod a Deo nobis aduocatā fuisse datā cō memorat, perinde loquitur ac si, quod de Christo prædicant Apostoli, in illam dimidia ex parte competeret. Et *se audet* Simeoni *comparare hoc* Silicernium, *cum ille uenerandus senex, in unicum* Dei *salutare, etiam nondum reuelatum, toto animo intentus fuerit:* Huic *autem Christus unus sit ex turba* Aduocatorum. *Postquam ordinem in cœlo tam concinnum statuit, ad terrenam* Hierarchiam *delabitur:* Et *alienum esse a Christi corpore pronunciat, quisquis recusat* Paulo Tertio *subesse.* Quid? *etiam ne si inter impios tanquam* Diabolus *quispiam tenebit* Principa*tum?* Fieri, *inquit, aliter non potest,* Quin *Christi sit* Vicarius *qui* Ro. *sedem occupat.* Non*dum pudet istos nugatores tam futilibus nænijs ludere, quas sciunt ad tædium usq; millies fuisse refutatas.* Et *infra.* Si *leonem (inquit) ab unguibus æstimare placet, iam habent lectores, quid de* Tridentino Concilio *sentire debeant.* Nam *credibile est, ex* Monachis, *qui adfuerunt, hos, quibus potißimum datus est declamitandi locus, habitos fuisse* Primarios, *& quasi selectum florem.* Eosdem *ergo sciamus esse, ex quorum ingenio prodierunt* Decreta: *qui patribus* Cor-

Non deficiet fides Petri & sedes eius super petram fundata.

Falsum preiudicium.

nutis dictarunt, quod tacito nutu, quasi mutæ personæ approbarent. Quo recidimus? ut pro diuinis Oraculis habenda sint, quæcunq; talibus Bestijs libuerit, obstrepera uoce, in aliorum aures demurmurare. Quanquam non sum adeo rerum ignarus, ut credam, Orationes, quæ istorum nomine æditæ sunt, qualescunq; sint, ab ipsis fuisse compositas. Habent enim suos Logodædalos, quibus suas insulsitates, ne risum pueris moueant, aliquo uerborum colore fucandas tradunt. Sed fingamus nihil esse quod non industria sua limauerint, Id tamen in magno lucro ponendum est, tale extare specimen. In quo formidabilis illa Papatus sapientia appareat. Hæc ibi Caluinus.

Defensio Catharini per Cochlæum.

Vide obsecro, mi Domine Erasme, quam cæcum ac temerarium sit Rhetorici huius Censoris iudicium, tum de Catharino specialiter, quem minime cognoscit: tum de tota Synodo, cuius personas, sibi prorsus ignotas, superbißime præ sua suorumq; complicum eruditione (quæ tamen præter fucum uerborum & linguarum ostentationem, nihil affert solide fun- Temerarium Iudiciũ Caluini contra ignotos sibi.

 datum

datū, uel in Iure Canonico, aut Ciuili, uel in Phi losophicarum aut Theologicarū rerum cognitione) despicit, iudicat & condemnat.

Quid enim aliud ageret impius Ecclesiæ desertor, miserumq; Diaboli (qui extra Ecclesiam
Iob. 41. omnibus plena potestate dominatur) mancipium, & illius infœlix satelles, qui est Rex super omnes filios superbiæ? De qualibus &
Psal. 73. Psalmista queritur, & ad Deum clamans ait: Exurge Deus, iudica causam tuam, memor esto improperiorum tuorum, eorum quæ ab insipiente sunt tota die: Ne obliuiscaris uoces inimicorum tuorum: superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper.

Iniuriæ in sacerdotes, ad Deum pertinent. Quasi uero ad Deum nihil pertineat omnis iniuria, qua procaciter irridentur, & superbe contemnuntur unà cum Ro. Pontifice (Christi Vicario) tot, tantiq; Prælati Ecclesiarum, Deiq; consecrati ministri, simul cum generali Concilio
Luc. 10. Catholicam Ecclesiam repræsentante. At Chri-
Matt. 18. & 25. stus ipse dixit. Qui uos audit, me audit, & qui uos spernit, me spernit. Item, Qui Ecclesiam non audit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus. Et rursus quod uni ex minimis meis fecistis, mihi
Rom. 14. fecistis. Apostolus quoq; ait, Tu quis es qui iudicas alienum seruum? Domino suo stat aut cadit.

dit. Stabit autem, potens est enim Deus statuere illum. Item, Veniam autem ad uos, & cognoscam, non sermonem eorum qui inflati sunt, sed uirtutem. Quid igitur noceat iste contemptus aut calumniosa criminatio, siue Catharino: cuius fama & spectata eruditio per omnem Italiam Galliamq; & Hispaniam notißima est, & tot æditis ab eo libris Lugduni Venetijsq; & Florentiæ, in omni disciplinarum genere, præsertim in rebus Theologicis, euidenter declarata & comprobata est? Siue Concilio Tridentino, de quo instaurando rursusq; celebrando, tam solicite consultant, & apud Ro. Pontificem precibus instant, nunc tot mensibus Augustæ, in Conuentu Imperiali, per honorificas Legationes suprema sacri Imperij Ro. Capita, Imperator ipse Inuictissimus & serenißimus Rex frater eius, cum uniuersis Imperij Electoribus, cæterisq; Imperij Principibus, Statibusq;, & Proceribus?

1. Cor. 4.

Caluini maledicētia neq; Catharino neq; Concilio nocere debet.

Quid (inquam) noceat huius Concilij authoritati & existimationi uentosa lingua maledicusq; stylus profugi Caluini, ob hæreseos crimen proscripti, & exulis atq; infamis? qui nusquam tutus est, aut honorem ullum habet, nisi apud suæ farinæ hæreticos: quibus dolose applaudit, & maledicentia sua sceleratum præstat obsequium.

Qualis Caluinus

Tali

Tali ne blateroni atq; erroni, & aduenæ atq; alienigenæ (quem Christianißimum Regnum Franciæ e finibus suis eiecit) plus credant demum Germaniæ populi, quam Generali Concilio, quod tam instanter petunt eiusq; Decretis obedientiam promittunt tot tantiq; Principes & Ordines totius Ro. Imperij? Quis obsecro, tam cæcus & peruersus sit, ut hoc æquum aut rationi consentaneum esse iudicet?

Mendacium de Catharino. *Quid quæso profert nugax Censor iste in Catharinum aliud, quam impudentißima mendacia, procacissimaq; conuitia:* Dicit *uenerabilem senem istum, putridum cadauer & silicernium.*

1. Tim. 5. *Quem ut patrem, iuxta Pauli præceptum, reuereri debebat: tuq; probe nosti, quam uiuida & omnibus sensibus adhuc integra, sit isti uiro senecta.* Dicit nugator, *eum tam turpiter omnium Ordinum consensu exibilatum, & tanto dedecore a Luthero prostratum, ut in hominum conspectũ, si saperet, nunq̃ prodire debuerit.* At extãt *adhuc Libri eius, ante 27. annos, ab eo in Lutherum æditi, quorum ego partem nuper denuo excudendam in Germania, nostro Typographo tradidi, ut Lutherani uel seró ex ijs recte sapere ac resipiscere inciperent, discerentq; post tot calamitates cladesq; suas, recta monenti, & Lutheri*

theri errores malignitateſq; & ſcelera, bona fide ex proprijs eius uerbis demonſtranti, atq; conuincenti, fidelem præbere auditum.

At grauiter accuſat eum, notatq; & reum agit impietatis Caluin9, quòd in Synodali oratione ſua dicat, Beatam Virginem Dei genitricem, Sociam Chriſti, eamq; eius Throno aſsidere fingat, & Chriſtum unum ex turba Aduocatorum faciat, Quem Simeon unicum Dei ſalutare dicat. Hæc ſunt grandia illa impietatis crimina, quæ Catharino Caluinus improperat, tam rigida cum cenſura, ut propter ea uerba non ſolum explodendus fuerit ipſe Orationis habitæ Autor, ſed etiam tota Synodus contemnenda ſit. Sed impius iſte Cenſor quærit malicioſé feſtucam in oculo fratris, & non uidet immanem impietatis trabem in oculo ſuo: Dum contra totius Eccleſiæ ſenſum & uſum, denegare audet, Matri Chriſti ſocietatem Chriſti, Thronumq; in cœlo, & Aduocationis officium atq; pietatem.

De quibus reum agit Catharinum Caluinus

Redargutio.

Perinde, ac ſi Paulus contra Matrem Chriſti Deiparam (quã Græci θεότοκορ uocant) dixerit ad Corinthios, Quæ ſocietas luci ad tenebras? Quæ autem conuentio Chriſti ad Belial? Aequioribus itaq; auribus (ut uideo) audiret Caluinus, Deiparam uirginem dici Belial ac tenebras,

2. Cor. 6.

quam

quam sociam Christi aut stellam maris, aut Aduocatam nostram: Bone Deus, quanta est potestas Diaboli in eos, qui per superbiam plus uolunt sapere quam oportet: & ut aliquid in hoc seculo esse uideantur, Ecclesiam propter uanam gloriam per hæresim deserunt, atq; alium sibi Deum &

Iob. 41. *Dominum (quem Iob Regem super omnes filios superbiæ, & omne sublime uidentem dicit) foris quærunt, eiq; se sua sponte mancipant atq; subijciunt.*

Dei genitricem recte dici sociā Christi.

Non ignorat, credo, impius iste Censor & Vitiligator, quod idem Apostolus Paulus in eadē illa ad Corinthios epistola claris uerbis expresse dicit: Scientes, quoniam sicut socij paßionum estis, sic eritis & consolationis. Atqui Beatam Virginem Dei genitricem, fuisse fidelißimam sociam paßionum, testantur manifestißimè duo Euangelistæ, Lucas & Ioannes. Lucas quidem per illius uenerandi senis Simeonis uerba, qui

Luc. 2. *Matri Christi in templo dicebat: Et tuam (inquit) ipsius animam pertransibit gladius. Ioannes uero, per sua & ipsius Christi uerba: Per sua*

Iohan. 19. *quidem ista. Stabant iuxta crucem IESV, mater eius, & soror matris eius etc. Per hæc deinde uerba Christi, quæ in cruce pendens dixit matri suæ, Mulier, ecce filiꝰ tuꝰ. Hæc sane uerba, ipsam*

ita sociam

ita sociam passionum Christi fuisse testantur, ut a pijs & ueris Christianis sine lachrymis & cordis compassione uix audiri aut proferri queant. Si ergo Mater Christi fuit passionum socia, & quidem constantissima usq; ad ipsius mortem, quam ille pro nobis sua sponte subijt, Quid obsecro iniuriæ sit, si consolationis quoq; socia esse dicatur? Nonne longe minoribus id ipsum promisit Paulus?

Dicit præterea idem Apostolus, in priore ad eosdem Corinthios epistola, Fidelis Deus, per quem uocati estis in societatem filij eius Domini nostri IESV CHRISTI. Quid ergo? Si Paulus rectè ac piè dixit generaliter, Corinthios (quos tamen de multis uitijs erroribusq; paternè arguebat ac emendabat) per Deum uocatos fuisse in societatem Christi: Quo rogo iure, aut per quod uerbum Dei conuincet Catharinum, uelut impium & hæreticum Caluinus, ex eo, quod ille coram synodo sancta, dixit Mariam Dei genitricem, sociam Christi, aut a Deo in societatem Christi uocatam? Est ne uox illa Catharini usq; adeo impia & absona, ut tam diram execrationem Caluini mereatur? 1. Cor. 1.

Ait enim Conuiciator iste inter cætera sic.

Et uo-

Dira uerba Cal. in Cathari. propter B. Virg. Mariam.

Et uocem adeo sacrilegam, in tali consessu prolatam, & exceptam non paruo fauore, posteritas nunquam credidisset, nisi ab illis publicata fuisset Oratio. Quid enim est Christum lacerare, si hoc non est?

Sed longe uerius in B. uirginem Dei genitricem impius & sacrilegus est Caluinus, qui detrahit id honoris, Castissimæ Virgini Matri Christi, quod Paulus Apostolus tribuit bis (ut iam recitatum est) haud ita sanctis, & uita meritisq; longe imparibus, Corinthijs. Quis igitur magis impiè lacerat Christum? Catharinus ne, qui Matrem Christi, iuxta Pauli attestationem, ut sociam paßionum, ita & consolationis dicit? An non longe uerius potiusq; lacerat Christum sacrilegus Caluinus, qui diuidit ac dissociat Matrem Christi a Christo, tanquam sacratißimum templum a Deo suo, & matrem a filio suo: & Ecclesiam, quæ Corpus & sponsa Christi est, scindit per hæresim. & erroris arguit temerè & iniquè per calumnias? Addit uero & aliam protinus iniuriam, dum

Quis lacerat Christum.

dum ait: Et aßidere fingitur Christi mater eius throno, ut gratiam nobis impetret. At non fingitur, sed uerißimé affirmatur hoc authoritate utriusq; Testamenti. In ueteri quidem ex facto Salomonis, qui typum Christi (qui uerus est pacificus) gerens, matri suæ posuit thronum, iuxta thronum suum, & dixit ei, Pete mater mea, neq; enim fas est, ut auertam faciem tuam. Cui & Adonias, frater Salomonis, prius dixerat, Neq; enim negare tibi quicquam potest: Quanto autem securius confidentiusq; nos hæc dicere possumus Matri Christi? Verus enim Salomon (id est pacificus) Christus longe benignior est, quam Iudaicus ille fuit, & MARIA mater eius longe sanctior maiorisq; meriti est, quam Bethsabee fuit, aut esse potuit.

De Throno Mariæ in cœlo. 3. Reg. 2.

Et in nouo Testamento manifesté dixit ipse Christus fiducialiter ad Patrem: Pater, quos dedisti mihi, uolo ut ubi sum ego, et illi sint mecum. Idem ad discipulos suos: Vado (inquit) parare uobis locum. Et si abiero, & præparauero uobis locum, iterum uenio, & accipiam uos ad meipsum, ut ubi sum ego, & uos sitis. Rursus generaliter ait: Si quis mihi ministrat, me sequatur: & ubi sum ego, illic et minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus,

Ioh. 17. Ioh. 14. Ioh. 12.

Matt.19. Et iterum ad Apostolos per alium Euangelistam: Amen dico uobis, quod uos, qui secuti estis me, in regeneratione, cum sederit filius hominis in sede Maiestatis suæ, sedebitis & uos super sedes 12.
Luc.22. iudicantes 12. tribus Israel. Et id ipsum in ultima quoq; cœna promisit eisdem, sicut alius refert Euangelista. Deniq; & in Apocalypsi Ioannis adhuc apertius & ad propositum accommodatius
Apoc. 3. sic ait. Qui uicerit, dabo ei sedere in throno meo, sicut et ego uici, & sedi cum patre meo in throno eius.

Quid ergo dicemus ad tot scripturæ locos, & tot certissima & clarissima uerba Christi? An potest quisquam tam cæcus & uæcors esse, ut existimet, aut dicere ausit, plus credendum hic esse Caluino, Mariæ Dei genitricis Blasphematori, sine omni & scriptura & ratione, inaniter stulta præcipitatione garrienti, & contra totius Ecclesiæ communem sensum & sententiam, Mariæ detrahenti: quàm ipsi Christo, qui est ipsa ueritas? & Ecclesiæ Christi, quam non uane Columnam & basim ueritatis uocat Apostolus, Christi uas electum?

At dicet forte Caluinus, ut impudentissimæ temeritatis est et audaciæ perfrictæ q; frontis, Maioris fuisse apud Christum meriti, respectusq; &

honoris

honoris Apostolos, quam ipsius matrem: Nos huic uanitati breuissime opponimus historiam antiqui & ocularis testis rei gestæ S. Dionysij Areopagitæ, ubi de obitu Mariæ Dei genitricis, inter cætera sic ait.

Nanq; & apud ipsos diuino spiritu plenos Pontifices nostros, cum & nos (ut nosti) & pleriq; ex sanctis fratribus nostris, adcontuendum Corpus illud, quod Authorem uitæ Deumq; ceperat, conuenissemus (Aderat autem & Frater Domini Iacobus, & Petrus, supremum decus & antiquissimum Theologorum columen) ubi post contuitum placuit, ut infinite potentem laudarent omnes, quisq; pro captu suo etc. Ecce frater Domini Iacobus, & Petrus, supremum (etiam si Caluino & omnibus Lutheranis Zuinglianisq; rumpantur ilia) decus, & pleriq; alij ex sanctis fratribus conuenerunt, ad contuendum corpus illud, quod authorem uitæ Deumq; ceperat. Quis rogo Apostolorum huic possit iure præferri aut æquari honoris priuilegio?

Dionys. de Diuinis nominibus c. 3. parte 3.

Audiat igitur Caluinus, quid contra has suas in matrem Christi blasphemias, ad nobilem Matronam Romanam, Paulam & ad Chorum sacrarum uirginum de festo Assumptionis Mariæ disertissime scripsit, ante 1160. annos S. Hieronymus,

Verba Hieronymi de Assumptione Mariæ

mus. Hæc *est* Dies *(inquit) præclara, in qua uirgo Maria meruit exaltari super choros angelorum, & peruenire ultra quam nostræ humanitatis est natura: ubi non substantia tollitur, sed gloriæ magnitudo monstratur: cum eleuatur in dexterã patris, ubi* Christ*us pro nobis intrauit,* Pon*tifex factus inæternum, ad cœli palatium.* Hæc *est inquam dies (ait) in qua usq; ad throni celsitudinem intemerata uirgo & mater processit, atq; + in regno solij sublimata, post* C*hristum gloriosa resedit.* Hæc *ibi* Hiero. *ubi & falsam* C*aluini querelam (qua ficto zelo &* Diabolica *fraude queritur lacerari* C*hristum throno & honore* M*ariæ matris eius) breuiter sic confutat.* Honor *(inquit) maternus eius est, qui natus est ex ea.*

+ in regni folio.

Ex his uides iam, E*rasme* D*octißime, quam temeraria & iniqua impiaq; ac plane blasphema sit, in quædam uerba* C*atharini, censura* C*aluini.* C*æterum, quæ calumniatur de* A*duocata, cõfutaui ego iam pridem in alijs, aduersus illius* C*omplices* B*ullingerum,* M*usculum,* B*ucerum, etc. scriptis meis:* N*unc alijs necessario intentus studijs & negocijs, hoc breuiter responderim:* L*onge altiori ratione dici a nobis* A*duocatum* C*hristum,* D*eum & hominem, quam* A*duocatam* M*ariam aliosq; sanctos:* E*t meram esse calumniam*

Altiori honore ac ratione Christus dicitur Aduocatus & lux mundi, quã Maria et Apostoli.

Caluini, qua dicit, illam a nobis sic aduocatam dici, ac si dimidia ex parte hoc ei cum Christo competat.

Nam Christus ipse ab hac nos liberat calumnia, qui non æquali honore ac ratione dicit de seipso, Ego sum lux mundi, Et ad Apostolos suos: Vos estis lux mundi. Adeo enim inæqualis est ibi ratio Epitheti, ut Ioannes Euangelista palam dixerit de Iohanne Baptista. Non erat ille lux, sed ut testimonium perhiberet de lumine: De quo tamen Christum ipsum dixisse non ignorabat: Amen dico uobis, Non surrexit inter natos mulierum maior Iohanne Baptista. Et tantum, de iniurijs Caluini in Catharinum nostrum, qui utiq; longé copiosius eruditiusq; (si uolet) eas a se depellere, & in ipsum Censorem, usq; adeo temerarium & immaturum, retorquere poterit.

Ioh. 8.
Matth. 5.
Ioh. 1.
Matt. 11.

Restat igitur, ut de altera quoq; parte, ubi de sacramento Confirmationis agendum est, qua potero breuitate Caluino respondeam: si prius Concilij Decreta, sicut a Caluino recitantur, in medium produxero.

Ex septima Sessione tres Canones de Confirmatione.

SI quis dixerit, Confirmationem

Baptizatorum ociosam Cæremoniam esse, & non potius uerum ac proprium sacramentũ: Aut olim nihil aliud fuisse quam Catechesin quandam, qua adolescentiæ proximi, fidei suæ rationem coram Ecclesia exponebant: Anathema sit.

Si quis dixerit. Iniurios esse spiritui sancto eos, qui in sacramento Confirmationis Chrismati uirtutem aliquam tribuunt, Anathema sit.

Siquis dixerit, Sanctæ Confirmationis Ordinarium ministrum non esse solum Episcopũ, sed quemuis simplicem sacerdotem: Anathema sit.

Censura Caluini, in Canonem primum.

Quia bisulcum est hoc Anathema, ne priore sulco feriar, mature ex eorum numero me nequanquam esse profiteor, qui ociosam confirmationis Cæremoniam esse putant, qualis sub Papatu Romano obseruatur: Vtpote qui eam inter maxime exitiales Sathanæ præstigias numerẽ. Meminerimus, nusquam in scriptura nobis commendari, quod fingunt sacramentum: Neq; hoc nomine, neq; hoc ritu, neq; hac significatione &c.

Responsio Cochlæi.

Consydera obsecro, mi Erasme, quam procax ac fastuosa sit huius prætensi Censoris superbia, mentisq; elatio, & præceps confidentia: qua tam secure, absq; omni causa & ratione, atq; scriptura, irridet ac blaspemat hoc sacrum, & omnibus Christianis (ipsis etiam Gigante us fastus Caluini.

Apoſtolis, & primis, uetuſtißimiſq; eorum diſcipulis) uenerabile ac Sacroſanctum Chriſma Confirmationiſq; ſacramentum. Quod Gigas iſte confidentißimus (ut cæteris hæreticis longe doctior audaciorq; uideatur) nimis modeſtè reijcere ac prophanare putat eos, qui illud ocioſam Cæremoniam contemptim uocitant: Ideo ipſe uelut Centimanus quidam Briareus, ut atrocius immaniusq; oppugnet, numerat antiquißimum hoc Eccleſiæ ſacramentum, inter maxime exitiales Satanæ præſtigias.

Lutherus

Io. Huſs.

Similis in hoc Luthero ſuo, qui iam olim conſimili iactantia gloriabatur in ſuperbia ſua, & nequißima ingenij ſui abuſione. Si Ioannes Huſs (tametſi publice condemnatus Conſtantiæ, in generali Concilio, atq; etiam combuſtus & incineratus authoritate Imperiali, acſæculari poteſtate) ſemel fuerit hæreticus: ipſe Decies magis ſit hæreticus. Quid igitur efficias aut proficias contra tam obſtinatos ac omni pudore deſtitutos hæreticos, ſi uel Centum in eos euulges libros?

Ad ſeditiones nari Hæretici.

Confiſi enim uiribus ſuorum Receptatorum, palam contemnunt omnem Iuriſdictionem Eccleſiaſticam, tam ſummi Pontificis quam loci Ordinariorum Epiſcoporum, ac Prælatorum quorumcunq;, & ad turbas præterea ſeditioneſq; concitandas

tandas ita proni sunt & strenui, atq; etiam Mille-artificis instinctu ingeniosi, ut ad eas nati esse uideantur. Vnde factum esse uidimus, prohdolor, ut summi etiam Principis, Potentissimi ac Inuictissimi Cæsaris & Imperatoris nostri, Supremi Ecclesiæ Aduocati, *Edicta, Mandata, Sententias,* Recessusq; *(ut uocant)* Imperiales, *suis fucis & artibus in eum adduxerint contemptum: non solum apud temerariam & inconsultam multitudinem, uerum etiam apud multos sacri* Ro. *Imperij Principes Proceresq; & Ciuitates: ut propemodum uniuersalem defectionem ac rebellionem sæcularium Principum ac populorum, ante biennium, aduersus illum excitauerint: eamq; omnium periculosissimam ac maxime calamitosam suis.* Defectio & Rebellio cōtra Imp. Anno 1546 *Neq; tamen adhuc desinunt proteruire, sed perinde ac si uictores fuerint, audacius in obstinata malignitate sua progrediuntur, & furioso elati animi tumore, superbe contemnunt omne consilium iudiciumq; et autoritatem, non solum summorum Capitum utriusq; potestatis, sed etiam Generalis* Concilij, *quod totam* Ecclesiam Christi *refert ac repræsentat. Sicut fecerunt olim* Donatistæ, *qui malebant seipsos uel gladio uel præcipitio, desperatione sane obstinatissima interimere, quam ulla ratione, authoritate aut consilio ad* Donatistæ.

Ecclesiæ fidem reduci. Tales itaq; deuitare, tanquam proprio iudicio condemnatos iubet Apostolus.

ad Tit. 3.

Vt clarius tamen appareat, quam impudens & mendax sit, superbissimi huius Goliath iactantia, referam hic per compendium certa ac luculenta, de uetustate huius sacramenti, sanctorum patrum testimonia: Inter quos sané, primum post Apostolos & Euangelistas locum, meritò habere uidetur, diuinissimus et doctissimus Pater S. Dionysius Areopagita, qui proprium ac bené prolixam hac de re Caput ad Timotheum perscripsit.

DIONYSIVS. de Eccle. Hiera. c. 4.

Hæc habuimus (inquit) quæ de sanctissima Synaxi diceremus. Sed enim alia est, huius finitima, uenerandi confectio Vnguenti, Consecrationem eam uocant Præceptores nostri. Et infra, Est igitur, ut dixi (quod nunc laudatur a nobis) Sacrosanctum mysterium eius ordinis atq; uirtutis, ut sacerdotalia cuncta perficiat. Atq; ideo sancti præceptores nostri, istud quasi æquali ordine atq; officio, sacro Synaxeos coniunxere mysterio, eisdem imaginibus, ut plurimum, & distinctionibus mysticis, & eloquijs subnixum sacris. Et post multa, sub finem: Vnde, ut opinor (inquit) iuxta sacratiorem sensum traditiōe diuina, Sancti

nostræ sacerdotalis functionis Duces, *honestißimum istud unguenti consecrandi munus* Teleten, *ab affectu rei, quæ in eo perficitur, nominant.* Telete .i. perfectio

Hæc breuiter ex Dionysio: Equibus *sané non pauca mendacia et sacrilegia* Caluini *deprahenduntur, & conuinci possunt.* Is *enim hoc mysterium, horrenda cũ blasphemia, numerat inter maxime exitiales Sathanæ præstigias*, Idq; *facit sine omni ratione, sine omni teste atq; scriptura.* Dionysius *ueró, ubiq; suis de hoc sacramento traditionibus, testes adducit suos* Præceptores, & *sacerdotalis functionis* Duces. *Quos uero alios nisi* Apostolos & Hierotheum? *Quis igitur non censeat, longé iustius & securius credendum esse* Dionysio Pauli Apostoli *discipulo, quam* Caluino *hæretico, manifesto* Ecclesiæ *desertori & hosti, quem nullius pudet mendacij?*

Alter ex primis Apostolorum, *præsertim* Petri & Pauli, *discipulis est* Clemens, *sanctißimus* Martyr & Pontifex, *successor* S. Petri *In sede* Apostolica, *Cuius honorificam facit mentionem, in sua ad* Philippenses *epistola*, S. Paulus *in hæc uerba:* Etiam *rogo & te* Germane *compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in* Euangelio, *cum* Clemente *& cæteris adiutoribus meis, quorũ nomina sunt in libro uitæ.* Hic *igitur* Clemens CLEMENS Phil.4.

in Quarta

in Quarta sua (quam nominatim ad Iulium & Iulianum, eorumq; Consodales inscripsit) Epistola, de isto Confirmationis & Sancti Chrismatis sacramento sic ait.

Verba Clementis de Cõfirmatione.

Omnibus ergo festinandum est, sine mora renasci, & demum consignari ab Episcopo: Id est, *Septiformem gratiam spiritus sancti percipere, Quia incertus est uniuscuiusq; exitus uitæ.* Nisi *autem regeneratus fuerit per aquam, & postmodum septiformi spiritus gratia ab* Episcopo *(ut memoratum est) confirmatus: aliter perfectus esse* Christianus *nequaquam poterit, nec sedem habere inter perfectos, si non necessitate, sed incuria aut uoluntate + permanserit:* Vt *a* Petro *accepimus, & cæteri sancti Apostoli, præcipiente* Domino, *docuerunt.* Et *demum ex operibus bonis ostendat in se similitudinem eius, qui eum genuit, patris.*

+ *remanserit.*

Hæc S. Clemens, *qui non solum per sese fide dignus, & omni exceptione maior apud omnes* Christianos *merito habetur testis, sed etiam* S. Petri *cæterorumq; Apostolorum, atq; adeo ipsius quoq;* Domini *authoritatem & testimonia profert:* Vt *nesciam equidẽ, quomodo certius aut euidentius aliquid de hoc* Confirmationis *usu & sacramento, produci posit aut debeat:* Caluinus

autem nihil aliud affert in contrarium, nisi proprias sui oris impurissimi et impij cordis blasphemias.

Sed confugiet forsitan hic ad usitatum Hæreticorum Asylum, & negabit hanc Clementis esse Epistolam, sicut & Bucerus, alijq; complices eorum faciunt: more ueterum hæreticorum, quorum alij Paulum, alij Lucam, alij Iohannem, alij principium aut finem Euangelij secundum Matthæum reiecerunt: Atq; recenti temeritate & exemplo Lutheri sui, qui friuola superbiæ suæ præsumptione per falsam & impiam censuram reiecit, e sacrorum librorum Canone & Catalogo, aliquot Apostolorum Epistolas, nempe Pauli ad Hebræos, Iacobi item & Iudæ, atq; etiam sacratissimam Apocalypsin Iohannis.

Asylum Hæretico rum usita tum.

Luth. in præfati- on. no. test.

Neq; tamen alios huiusmodi Epistolarum et librorum Authores indicant, aut ulla rationabili probatione indicare possunt. Quis ergo censeat æquum esse, ut temerario & omni ratione atq; probatione nudo ac destituto eorum iudicio potius credendum sit, quam ipsi Ecclesiæ Catholicæ (cui ipsimet concedunt inter sacros & Apocryphos libros discernendi authoritatem, ut ex eorum publicis patet Colloquijs) ac tot sæculorum fide approbatis ac publice receptis titulis Authorum?

Vide Acta Colloquij Ratispon. Anno 1541. habiti.

Contra

Contra hoc igitur fucatum Caluini, & Buceri effugium, omnibus qui in reprobum sensum non sunt a Deo *tradití, sufficere potest, ac debet Antiqui Vasensis Concilij testimonium, ante Mille annos, temporibus* Theodosij II. Imperato*ris publicatum. Cuius ego Canonem sextum, ante 22. annos, in Nuncupatoria quadam ad pijßimum ac serenißimum Principem,* Regem FERDINANDVM, Dominum *&* Patronum *meum omnium Clementißimum, publice recitaui, in hæc uerba.* Ex Epistola *(inquit Canon sextus) sancti Clementis, utilia, & præsenti tempore Ecclesijs necessaria, sunt honorificé proferenda, & reuerenter ab omnibus fidelibus ac præcipué Clericis, recipienda : Ex quibus (quod specialiter placuit, propter uenerandam antiquitatem) statutis præsentibus roboramus, quod supradictus Martyr de Beatißimi* Petri *Apostoli constitutione commemorat &c. Quid autem responderunt hactenus, per 22. annos, ad hæc Vasensis Concilij uerba, superbi ac temerarij Censores isti ? Qui nullo iure, sed propria præsumptione constituunt seipsos Cognitores & arbitros, super sacræ scripturæ et Apostolicorum uirorum libros : atq; adeo impudentißimo inuerecundiæ ausu, semetipsos faciũt Iudices Dei & spiritus sancti: cuius instinctu afflati*

Vasense Concilium.

afflati scripserunt, & ab eo inspirati (ut ait S. Petrus) locuti sunt sancti Dei homines. 2. Pet. 1.

Vt autem citra omnem excusationem & recusationem, plenam habeamus de hoc sacramento sacri Chrismatis & Confirmationis probationem, iuxta Dei & Christi eius authoritatem & sententiam, ut in ore Duorum aut Trium testium Deut. 19. *stet omne uerbum: superaddam & Tertium ex* Matt. 18. *antiquis patribus testem, S. Fabianum. Ro. Pontificem & Martyrem. Qui in secunda Decretali Epistola sua, quam ad Orientales Episcopos dedit, inter cætera sic habet.*

Cura est ergo uestræ (inquit) solicitudinis Verba S. *adhibenda, ut ea quæ sunt ab Apostolis, eorumq; Fabiani. successoribus ordinata, et instigante sancto spiritu* Anno *instituta, nec dissimulatio negligere, nec ali-* Domini *qua præsumptio ualeat perturbare. Sed sicut hoc,* 147. *quod rationis exigebat utilitas, oportuit definire: ita quod definitum est, non debet uiolari. Literis uestris uero inter cætera insertum inuenimus, quosdam religionis uestræ Episcopos, a uestro nostroq; ordine discrepare, Et non per singulos annos in Cœna Domini Chrisma conficere, sed Duos* Chrisma *aut Tres annos, confectionem sancti Chrismatis* in die cœnę Domini confi- *semel actam eos seruare. Dicunt enim (ut in memoratis reperimus apicibus) nec Balsamum per* cere.

singulos

singulos annos posse reperiri, nec necesse fore per singulos annos Chrisma conficere, sed dum una confectio Chrismatis abundat, aliam fieri necesse non habere. Errant enim qui talia excogitant, & mente uæsana potius quam recta sentiente hæc audent. In illa die Dominus IESVS, postquam cœnauit cum discipulis suis, & lauit pedes eorum. Et sicut a sanctis Apostolis Prædecessores nostri acceperunt, nobisq; reliquerunt, Chrisma conficere docuit. Ipsa enim lauatio pedum nostrorum significat Baptismum, quando sancti Chrismatis unctione perficitur atq; confirmatur. Nam sicut ipsius diei solennitas per singulos annos est celebranda: ita ipsius sancti Chrismatis confectio per singulos annos est agenda, & de anno in annum renouanda, et fidelibus tradenda, quia nouum sacramentum est, et per singulos annos in iam dicto die innouandum, & uetus in sanctis Ecclesijs cremandum.

Ista a sanctis Apostolis & successoribus eorum accepimus, uobisq; tenenda mandamus. Hæc sancta Ro. Ecclesia & Antiochena, a tempore Apostolorum custodit, Hæc Hierosolymorum & Ephesinorum tenet: In quibus Apostoli præsidentes hæc docuerũt, et uetus Chrisma incendi, ac non amplius quam uno anno uti permiserunt,

atq;

atq; deinceps nouo frui & non ueteri, iubentes docuerunt.

Siquis ergo his obuiare tentauerit, omnem sibi, per nos & per omnes recte intelligentes, indulgentiæ aditum intelligat obseratum. Quia prauißimarum mentium peruersa doctrina, dum indulgentius frenis utitur, in præuaricationem præsumptionibus dilabitur, & nullatenus eruitur nisi prudentium sustentatione & correctione liberetur.

Hæc Fabianus, qui conformiter, ut priores Duo testes fecerunt, hunc Chrismatis ritum & sacramentum, Apostolorum doctrinæ & ipsius Christi institutioni tribuit, & acceptum refert. Quis igitur uere Christianus non iudicet dignum fustibus & plumbatis, atq; etiam pugnis, lapidibusq; tundendum ac obstruendum os durum Caluini? qui sacrilego ausu, absq; omni ratione & authoritatis aut scripturæ testimonio, scribere ac dicere non ueretur. Os durũ Caluini.

Confirmationis Cæremoniam, qualis sub Papatu Romano obseruatur, inter maxime exitiales Sathanæ præstigias numerãdã esse:

Et multum ab ociosa Cæremonia differre sacrilegium tam execrandis blasphemijs refertum.

Cum nihil prorsus ostendat, nec ostendere posit (etiamsi durißima Quæstionis tortura premeretur) quod in hoc tam antiquo Ecclesiæ ritu, per continuum usum & nimiam repetitionem tam in Oriente quam in Occidente, ab Apostolis usq; deducto: quod iure ac merito, uel in uerbo uel in facto, sacrilegum aut blasphemum dici queat.

Quæ est igitur tam audax impiaq; & nefanda huius desperati ac profugi Nebulonis impudentia, ut ausit adeo temere, supra & ultra quorumlibet Histrionum leuitatem, scurrarumq; dicacitatem & amarulentiam, os suum ponere in cœlum, ipsisq; Apostolis & Apostolicis uiris, Christi Martyribus, & uniuersæ per totum Orbem Ecclesiæ, perpetuæ consuetudini absq; omni causa & probatione contradicere, & nihil aliud afferre, præterq̃ scurriles irrisiones, calumniasq; manifestas, & amarulenta, in quoslibet patres atq; etiam in antiqua Concilia, probra atq; conuitia?

Conciliũ Aurelianense. *Nam & Aurelianense Concilium, in dedecus et opprobriũ Christianißimi Regni Franciæ, repræ-*

reprehendere ac irridere non ueretur. Sic enim ait.

Extat etiam Decretum Aurelianensis Concilij, neminem debere existimari Christianum, qui non Episcopali unctione fuerit Chrismatus. Digna enim sunt (inquit) corū uerba quae pueris quoq; propinentur in ludibrium.

Hæc Literator iste Grammaticus, qui totam Ecclesiam suæ censuræ iudicioq; uult habere subiectam & obnoxiam. An uerò Decretum huius Concilij bona fide recitet, neq; affirmare neq; negare ausim, Cū non habeam hic librorum copiam, unde id cognoscere possim. Video tamen hoc Decretum non alienum esse a longe antiquiore Decreto S. Clementis, quod a me recitatum est supra: Nisi quòd ibi ad hoc uocabulū Christianus, additur hoc adiectiuum Perfectus: quod hîc omissum esse uideo: fraude ne. & malicia Caluini, ut inde iustiorem uideatur habere reprehendendi ansam, an uerò negligentia Typographi, aut ipsius Concilij uoluntate, dicere non possum. Non dubito

tamen, illud Decretum conformiter ad sensum S. Clementis, a patribus istius Concilij, & intellectum & statutum fuisse.

Chrisma tus. *Quod autem irridetur a maledico Rhetore isto, propter hanc (ut arbitror) uocem, Chrismatus, mera petulantia & Momica quædam reprehendendi libido est. Quasi uero minimé liceat Catholicis dicere, breuitatis gratia, Chrismatum, id est, Chrismate consecratum & inunctum: Cum ipsi hæretici, irrisionis gratia dicant iniuriose Episcopos & presbyteros nostros, Idola Oleata. Qua rogo ex Grammatica aut Rhetorica potius Oleatum, quam Chrismatum dicere, uel ipso Momo iudice, liceat? Nec tamen pudet hunc improbum Sophistam, in re tam sacra et seria, scurriliter ludere & insultare, propter unam uoculam, minus quidem apud Grammaticos usitatam: rem tamen ipsam breuius commodiusq; ac magis proprié apud intelligentes, & puré Christianos explicantem.*

Quod autem ait, Nusquam in scripturis nobis commendari quod fingimus sacramentum: uanum est effugium, & uetus hæreticorum præsidium, per quod nihil uolunt recipere, quod in scripturis ad literam non uideant expressum. At nihil ei prodest. Nam persæpe confutatum est hoc

eorum fundamentum, præsertim ab Anglis, & quibusdam Bohemis, atq; etiam a mea paruitate, in plerisq; contra huius temporis hæreticos æditis libris, nominatim in Bullingerum, Musculum, Bucerum, Caluini complices. Hic breuitatis gratia ex uno Sedelij libro: quem de templo Salomonis Mystico docte scripsit, & quem nunc sub prælo uersat hic noster Typographus: paucula referam, quibus confundatur iste Caluini fastus. Sedelius.

Etenim in Tertio Capite (quod est de Templi loco) sic ait, Fallaciter ac certe maliciose Ecclesiæ Inimici scripturas petũt, quando pro scriptura nil nisi literam uolunt, sacratiorem scripturã calamo spiritus exaratam contemnentes: Cum tamen legem Christi in tabulis cordis scribendam ex Hieremia legant. Et infra, De Ecclesia uero, Hiere. 31. bone Deus, quis satis exprimat, quã peruerse, quámq; contumeliose iudicent? Cum illam non tanto dignentur honore, quanto literam scriptam: Cum tamen ea authoritatem non haberet, si illa non dedisset: illaq; esset etiam hac omnino deperdita. Quis enim audeat dicere, Ecclesiam ex litera scripturæ pendere, quando poßibile sit, codices omnes perditum iri, Ecclesiam uero minime? Hæc Sedelius. Sed blateret, ut lubet, improbus conuitiator & derisor iste, ex pestilentiæ

Summa Conclusionis de sacramento Confirmationis

cathedra sua, contra antiquißimum istud Chrismatis sacramentum: pius certe & uerus Christianus, qui se a Chrismate Christianum dici & esse gaudet, longe iustius & securius fore censebit, ut de hoc sacramento Confirmationis credat, & uenerabiliter acquiescat sacro & Oecumenico Concilio Tridentino, quod summa Patrum doctißimorum diligentia et exactißima discußione, præuia, Canones, & Decreta sua constituit, & sancti spiritus instinctu (iuxta certißimas Christi promißiones) examinauit, antequam publicarentur: quam ut uelit aut debeat contra hoc Ecclesiæ Sacramentum aures præbere, aut stulte ac temere credere nugacißimo huic Blateroni, qui nihil aliud affert nisi procaces Irrißiones, & impias atq; sacrilegas ore nefario blasphemias. Quandoquidem ex supra dictis Dionysij, Clementis, & Fabiani testimonijs, liquidißime ostensum est, hoc sacramentum a Christo eiusq; Apostolis traditum, & perpetuo Ecclesiæ usu obseruatum, atq; etiam omni iure et consuetudine per longißimam præscriptionem confirmatum, roboratum et approbatum fuisse & esse, antequam Caluinus, Bucerus, Musculus, alijq; eorum complices nati fuerunt.

Matt. 18. & 18. Ioh. 14. & 16.

Etenim Tres illi sanctißimi Christi Martyres,

eo digniores

rò digniores fide sunt, et testimonij Irrefragabilis Tres te-
authoritate, quo reipsa & in facto per mortem stes Irre-
suam testimonij (quod graece Martyrium dicitur) fragabi-
nomen & dignitatem consecuti sunt, Iuxta illud les.
uerbum Christi, Qui me confessus fuerit coram Matt.10.
hominibus, confitebor & ego eum coram patre meo, qui in coelis est. Caluinus autem cum socijs suis, quia haeretici sunt, & ipso facto Excommunicati atq; Infames, nullo iure ad dicendum testimonium admitti possunt. Neminem igitur mouere debent eorum maledicta: talia praesertim, qualia sine omni scriptura et authoritate, ex mera calumniandi libidine, profert audaci temeritate contra sacrum Concilium Caluinus.

Nos nanq; ultra illos tres Martyres, habemus adhuc Innumeros alios Martyres & Confessores Christi, qui de hoc Confirmationis sacramento, & Chrismatis usu atq; confectione, uno consensu & ore, Decretis Tridentini Concilij
astipulantur & consonant: Quos ad praesens bre- Tres alij
uitatis gratia commemorare supersedeo, Nisi Testes de
quòd unus aut alterius pauca uerba in mediũ re Chrisma
ferre, pro maiori declaratione, non nihil ad rem te.
facere uidetur. Etenim S. Hieronymus, contra Hiero.
Luciferianos ait, Laicos in necessitate posse Baptizare, sed sine Chrismate. Per hoc autẽ indicat.

Sacerdotes Chrismate uti debere, atq; consueuisse in baptizando.

Ambro. *Et S. Ambrosius pulchrè rationem et mysterium Chrismatis explicans, in libro de sacramentis, sic dicit. Memento quid tibi dixerit Episcopus. Deus, inquit, pater omnipotens, qui te regenerauit ex aqua & spiritu sancto, conceßitq; tibi peccata tua, ipse te ungat in uitam æternam. Noli ergo hanc uitam illi ante ferre: Verbi gratia, Si exurgat inimicus aliquis, si uelit tibi fidē tuam auferre, si minatur mortem, ut præuaricetur quisquam: uide quid eligas, Noli negligere illud in quo nō es unct9, sed elige in quo es unct9, ut uitam æternam uitæ preferas temporali, per Christum Iesum, Dominum nostrum, Amen.*

Quid est ungi in uitam æternam.

Rabanus *Deniq; Rabanus Maurus, uir ingeniosißimus simul & pijßimus, Abbas quondam Fuldensis, & paulò post sub Ludouico Pio Imp. Archiepiscopus Moguntinus (cuius admiranda & prorsus Inimitabilis est in carminibus de laudibus sanctæ Crucis, Ingeniositas & Inuentio) de hoc Chrismatis sacramento & usu, ita breuißime (ut a Gratiano in Patrum Decretis recitatur) testatur, dicens: Postquam ascendit baptizatus de fonte, statim signatur a Presbytero in uertice cum sacro Chrismate, ut Christi regni particeps fiat,*

De Consecr. dist. 4. c. Postquam.

& a

& a Christo Christianus poßit uocari. Hæc ille.

Quid obsecro, inde sequitur aliud, nisi a Christo uerè Christianos non esse, neq; dici debere, qui sacrum Chrisma, neq; pro sacramento Christi agnoscunt, neq; eo inungi uolunt: sed sacrilego contemptu pedibus conculcant, & rancidum oleum uocitant: atq; etiam irreligiosißime ex templis & ciborijs eijciunt, & uilius quàm aruinam habent, qua ad calceos suorum pedum utuntur.

Heu miseros, & nequißime ab incarnatis (ut in Edicto suo nominatim de Luthero testatur ipse Cæsar) Diabolis huiusmodi deceptos homines, qui contra Pauli testimonium, negant Chrisma, et id genus alias res corporales, uerbo Dei & oratione sanctificari posse. Cum error eorum manifestißimè conuinci poßit utriusq; Testamenti scripturis. Quandoquidem in lege ueteri tanta fuerit uis aquæ sanctæ, in quam sacerdos cum execratione maledicta congesserit, pro exploranda mulieris de adulterio suspectæ, uel culpa uel innocentia, ut si biberet aquas illas amarißimas, & adulterij rea esset, mox inflato uentre computresceret fœmur eius, fieretq; in maledictionem & exemplum omni populo. Sin uero Innocens & impolluta esset, nihil ei nocerent aquæ illæ, sed secura biberet & liberos pareret. Sed & aqua expiationis,

Error impius.

1. Tim. 4.

Num. 5.

Aqua Zelotipiæ.

Aqua Expiationis.

expiationis, sanctificata a sacerdote, in quam cinis uaccæ a sacerdote immolatæ & combustæ inspersus esset, tantam expiandi uim habebat, ut aspersione sua immundos emundaret: Qui autem tacto humanæ animæ morticino, ea mixtione nollet aspergi, is pollueret tabernaculum Domini, & periret ex Israel.

Benedictiones rerum corporalium

In nouo autem Testamento tanto maior est uirtus benedictionis in rebus corporalibus per uerbum Dei & orationem sanctificatis, quanto sanctius & perfectius est Nouum quam uetus Testamentum, Iuxta illud Apostoli ad Hebræos testimonium. Reprobatio fit (inquit) præcedentis mandati, propter infirmitatem eius & inutilitatem: nihil enim ad perfectum adduxit lex. Introductio uero melioris spei, per quam proximamus ad Deum. Nos itaq; Christiani firmiter credimus, per benedictionẽ fontis baptismalis, tantam inesse uim elemento aquæ, ut abluat a peccatis baptizatos qui non ponunt obicem, quia iuxta dictum Augustini, accedit uerbum ad elementum, & fit sacramentum.

Heb. 7.

Aug. super Iohannem Tractatu. 80.

Et per uerba consecrationis transmutatur substantia panis et uini in uerũ corpus et sanguinem Christi, sicut credunt ac docent omnes sancti patres. Id quod luculentissime pariter & copiosissime

ſsiβime demonſtrauit & conuicit contra Zuinglium & Oecolampadium, ſanctiβimus et pijβimus noſtris temporibus Martyr Chriſti, Ioannes Fiſcherus, Roffenſis quondã in Anglia Epiſcopus. Caluinus autem & reliqui deſertores fidei & doctrinæ Eccleſiaſticæ, omnia hæc negant & contemnunt: Irridentes nos propter antiquiβimos Eccleſiæ ritus, circa benedictionem ſalis et aquæ, fontiſq; baptiſmalis, maxime uero propter Tranſſubſtantiationem panis & uini In corpus & ſanguinem Chriſti. Epiſcopus Roffenſis

Qui procul dubio per hæreſes ſuas in reprobum ſenſum traditi, facti ſunt canes & porci illi, de quibus nos admonet Dominus in Euangelio, Ne ſanctum demus canibus, neq; porcis margaritas. Et tantum in Caluini dictum ſit ſacrilegam, ſcripturis nudam & mendacijs plenam, Cenſuram: quam ſibi tam impiè quàm ſuperbè temeritate propria uſurpare & arrogare auſus eſt, contra ſanctiβima & uerißima, de ſacramento Confirmationis Concilij Tridentini Decreta. Qui & omnia alia illius Acta & Decreta conſimili maledicentia traducit, taxat, & uitilitigat. Matt. 7.

Hoc quidem nouum habet, atq; ultra aliorum complicum ſuorum impietates nefarias ſuper additum (quantum meminiſſe ualeo) quòd ſacramentum Peior cæteris hæreticis Caluinus

mentum Confirmationis reputat inter maxime exitiales Sathanæ præstigias, aitq; sacrilegium esse execrandis blasphemijs refertum. Quod alios dixisse non scio.

Luth. de captiui. Babylo.

Certe Lutherus in suo contra Ecclesiam præludio multo mitius taxauit illud, Sic enim ait. Quare satis est, pro ritu quodam Ecclesiastico, seu Cæremonia sacramentali Confirmationem habere, similem cæteris Cæremonijs consecrandæ aquæ aliarumq; rerũ. Nam si omnis alia creatura sanctificatur per uerbum & orationem, Cur non multo magis hominem liceat sanctificari eisdem? Quæ tamen quia promißionem diuinam non habent, sacramentum fidei dici non possunt. Hæc ille.

Acta Lutheri VVormatiæ.

Qui alioqui contra Conciliorum autoritatem primus hisce nostris temporibus disputasse, alijsq; contradicendi ansam & audaciam præbuisse uisus est. Nam anno Domini 1521. cum personaliter uocatꝰ VVormatiam, in Cæsareæ Maiestatis aliorumq; Imperij Principum ac Procerum conspectum, clementer admonitus fuisset, ut futuri Concilij determinationi causam suam submitteret: pertinacißime recusauit, sicut ipsemet iactitauit in suis Actis. Cumq; post habitum ea de re cum eo aliquot Principum colloquium, speciali quo-

dam

dam colloquio id rursum peteret ab eo R. D. *Archiepiscopi Treuerensis Officialis, uir egregie disertus,Domino suo præsente (qui & me adesse iussit) Lutherus uero semper obijceret & inculcaret illud uerbum Apostoli,Quod si alij reuelatum fuerit sedenti,prior taceat.* Ego ad breuiter *declinandam & confutandam hanc eius obiectionem,ex abrupto interrogabam: An ipsi reuelatum esset? Is uero aliquantulum hærens, mox recepto animo diceret,sibi reuelatum esse.* Ego bre*uißime iterum interrogaui,Quo id signo aut miraculo probaret, ut sic dicenti credere debeamus? Ille uero nihil afferebat. Interrupit itaq; eam quæstionem quidam Iurisconsultus, ei proxime aßidens,Cui & in patrocinium adiunctus ac deputatus erat.*

Colloquium.

1.Cor.14

*Vt autem clarius tibi,*Erasme mi *Doctißime, ostendam, quid ille multis post annis semper sugillando de* Concilijs *senserit,in hæc sane uerba paucula quam breuißime referam ex* Septicipite *meo, quem anno* Domini 1529. *euulgaui.Quam iniurius (inquam) contumeliosusq; & blasphemus in sacra* Concilia *fuerit plerunq;* Lutherus, *nouerunt sane omnes,qui eius insanias,in* Babylone, *in* Abroganda *missa, in* Visione Danielis etc. *legerunt;* Ego *breuitatis gratia, ex 500. tantum*

In Septicipite ca. 34.

articulis

articulis, ad quos respondi ante aliquot annos, quædam succincte commemorabo hic. Ait igitur in sermone II. super illud Christi. Attendite a *falsis* Prophetis. Matth. 7. Hoc (*inquit*) *Euangelium subuertit funditus et radicitus* Papatum, *& omnia Concilia, quia non tenemur seruare quod Papa præcipit & homines constituunt. Quia dicit, Cauete a falsis.* Oportet igitur, aut *Euangelium mentiatur aut* Papa *simul cum* Conciliis *&c.*

Protestationes & Appellationes Lutheri fraudulentæ.

Antea uero fraudulentis et mendacibus protestationibus, atq; Appellationibus, humiliter sese et Papæ *& futuro* Concilio *subiecerat, non solum coram* Card. *Caietano* Legato *Augustæ, uiuente adhuc tunc gloriosæ memoriæ Cæsare* MAXIMILIANO, *sed etiam* Lipsiæ In *disputatione, cum* Doctiss. *uiro* D. Ioanne *Eckio, et in quibusdam publicatis ab eo schedis.* Quid *multis?* Certissimum *profecto est illud, quod tum priuatis ad quosdam scripsit idem* D. *Eckius fœlicis recordationis, quod* Lutherus *nihil teneret de* Conciliis Generalibus.

Quantumuis *igitur promittant hodie* Lutherani *&* Zuingliani, *se uelle acquiescere* Concilio Generali, *si denuo* Tridenti *celebretur, mihi profecto nõ uidebuntur ex animo loqui, quamdiu*

Bucero, Caluino, Melanthoni & id genus alijs permittunt, publice contra Acta Concilij recens celebrati, usq; adeo scurriliter, atrociter atq; calumniose & scribere & prædicare.

Quandoquidem & VVittenbergæ recens in Teuthonico nuper æditus est libellus cuiusdam Crucigeri, In quo ualde iniquum esse censetur, petere a quibuslibet Christianis, ut futuræ cuiuscunq; Concilij determinationi sese subijciant, & acquiescere uelle promittant: sicut fit in sæcularibus controuersijs. Vbi si sit uarius inter partes alicuius legis intellectus, ad finiendam et tollendam litem, necessario standum & acquiescendum sit demum illi sententiæ, quam superior potestas, super diuersa inter partes legis interpretatione, tulerit aut approbauerit. Cruciger uero multis ambagibus & nugacibus cordis sui figmentis asserit, non esse parem rationem & potestatem Concilijs, in determinandis Ecclesiasticis controuersijs, quæ est superiori potestati in sæcularibus causis: Quia non sit Concilijs, a Deo concessa potestas, ad definiendas controuersias, sicut sæculari potestati.

Nouus libellus VVittenbergæ a Crucigero nuper æditus.

Ambages Crucigeri.

Neq; tamen in prolixa uerbositate sua, aliud scripturæ uerbum pro sua affert sententia, quam illud Apostoli ad Galatas, Siquis aliud Euan-

gelizauerit uobis quam accepistis, Anathema sit: etiam si angelus de cœlo esset. Hoc autem uerbũ *Apostoli non aduersatur* Concilijs, *sed longe potius ac uerius ipsis hæreticis & nouis sectis, quicunq; aliter nunc euangelizant, quam accepimus antea nos & maiores nostri. Conciliorum autem* Authoritas *multis scripturæ sacræ locis est confirmata, quorum bonam partem in alio contra* 30 *propositiones* Lutheri *libello, iam olim commemoraui.*

Fallax obędientiæ promissio.

Vereor *itaq;, ficto nunc corde promitti a quibusdam obedientiam Concilio* Tridentino, *super excitatis in religione controuersijs, quamdiu tolerantur libri* Lutheri: *qui palam & sæpe contestatus est: Impossibile esse, suam* Doctrinam *cum* Generali Concilio *concordari.* Nam *in multis impiæ assertionis suæ articulis, nolunt* Concilio *cedere aut assentiri* Lutherani, *sicut publice concluserunt sæpe* VVittenbergæ *&* Smalcaldiæ, *ubi & certos se esse dixerunt, hoc schisma suum placere* Deo. Et *ultra suam de sola fide iustificante doctrinam (quam ante omnia et in omnibus certißimam haberi postulant) inter res externas necessarias (ut dicunt) ista quoq; a nobis abrogari uolunt, ac imperiose ibi exigunt.* Missas *omnes, in quibus desunt qui unà utantur sacramento:*

mento: Canonem, qui iubet offerri pro alijs uiuis ac mortuis: Vniuersam Inuocationem mortuorum (ut aiunt) directe uel indirecte: Vota Monachorum: Magicos (ut dicunt) ritus consecrandæ aquæ, herbarum, nolarum &c. Ro. Pontificis potestatem: funebria sacrificia &c.

Neq; hodie adhuc alia est eorum (licet armis ab Imperatore nostro uicti sint) sententia, ut constat; non solum ex eorum contra Concilium Tridentinum publicatis libris & concionibus: sed etiam ex quotidiana in Ecclesijs ipsorum practica. Id quod Caluino, Bucero & complicibus eorum quam notißimum est; licet in multis ipsimet a Lutheri doctrina dissentiant. Perpetua igitur permanebit discordia; nisi tollantur e medio pestilẽtes eorũ libri; qui falso uerbi diuini prætextu, omnem et Conciliorum; et sanctorum Patrum authoritatem, sensumq; & sententiam superbißime contemnunt atq; redarguunt. Perpetua discordia.

Cruciger enim prolixe reprehendit eos; qui discordiarum pertæsi; æquum & rationabile esse iudicant; ut in religionis & fidei controuersijs, non solum secundum Prophetarum & Apostolorum scripta: sed etiam secundum unanimem sententiam, quam præcipui Doctores Ecclesiæ tenuerunt, iudicetur, eorumq; sententiæ acquiescatur. Verba Crucigeri contra rationabilem sententiam pacificorum.

tur, uerbi gratia, cum constet maiorem partem sanctorum patrum tenuisse Missæ sacrificium, satisfationes, sanctorum inuocationem &c. nos quoq; debere eorum sententiam sequi ac tenere absq; contradictione, iuxta Concilij decreta, quia singuli errare queant: Quod autem maior pars Catholicæ Ecclesiæ concluserit, id erroneũ esse nõ poßit. Propter concordiã enim securißime poßit acceptari id, quod maior pars concluserit & approbauerit. Cruciger uero contra hanc sententiam mox obijcit nobis illud Apostoli, Si quis aliter Euangelizauerit uobis, Anathema sit, Quasi uero sancti patres, & non potius hæretici, aliud nobis Euangelium, quam accepimus, prædicauerint.

Epistola Bucceri Anno 1547. ædita.

Sic & Bucerus anno superiore in consolatoria (quam in Germanico ædidit) Epistola sua, ausus est reprehendere totam Ecclesiam in omnibus præpositorum & superiorum gradibus, unà cum populo Christiano uniuersaliter, quòd errauerint in multis, ultra sexcentos annos, non solum in Canticis & lectionibus latinis, a populo non intellectis: sed etiam in administratione sacramentorum, Baptismi & Eucharistiæ. In superstitione & fidei in Christum (ut ait) deuastatione, quam instituerint per noua sua sacramenta, In benedictione

ctione Aquæ, salis, Ciborum, uestium, herbarum, candelarum, cinerum: Idolorũ (sic enim uocat sanctorum Imagines) templorum, altarium, & omnium fermè rerum.

Quin etiam sæculares ibi Magistratus publice accusare non ueretur, dum sic interrogat: Quot sio sæcula (inquit) præter ea ex potentibus ostendi possunt, qui suo in regimine, non proprium honorem, pompam & uoluptatem: sed gloriam Dei, subditorumq; suorum salutem, ante omnia quæsierint: & nihil studiosius curauerint, quam ut subditi sui pie uiuerent, atq; ab omni diuinorum præceptorum inobedientia sese custodirent? Repræhẽ nũ Principum.

Et eiusmodi criminationibus suis superaddit in fine illius Epistolæ, impudens ac manifestum mendacium, dum alios mendacij arguit. Euidens (inquit) mendacium est, quod de ministerio meo & de uita mea effutiunt: neq; ausi fuerunt ipsi, aut alij quicunq;, ullum mihi obijcere crimen (cum tamẽ in tergum adeo multa mihi apponant) coram ullo Christiano iudicio: ad quod ego me semper obtuli & adhuc offero, Neq; in faciem mihi obijcere audent. Hæc ibi Bucerus. Impudẽs & mendax iactantia Buceri.

At quis nesciat, quanta ei in actionibus & tractatibus publicis, uerbo & scripto fuerint obiecta, non solum generaliter ab Insigni tum Clero Iudicium Coloniensium de Bucero.

Clero, tum Vniuersitate Coloniensi: sed etiam specialiter a Doctissimis uiris, D. Ioan. Groppero Scholastico Ecclesiæ S. Gereonis, & Doctore Euerhardo Billico Prouinciali Carmelitarum: dum ille miserum senem, Archiepiscopum Coloniensem, sceleratis fraudibus & mendacijs, contra Papam, totamq; Ecclesiam & proprium ipsius Clerum irritaret, atq; a Catholica fide et religione in perfidiæ suæ sectam pertraheret? Neq; obscurum est, quanta obiecerim ego ei iam olim in Philippica sexta, quando sacrilegum Apostatæ coniugium defendebat Melanchthon, Turpitudinis illius patronus.

Epistola Coc. ad Principes & status Imperij.

Quod si ea omnia nequiter dißimulet Bucerus, quasi nihil eorum a me scriptum aut æditum uiderit: Certe dißimulare aut negare non poterit, se uidisse & legisse Epistolam meam, quam contra eum scripsi, ante Tres annos ad sacri Ro. Imperij Principes & status, in publico Imperij Conuentu VVormatiæ congregatos: quandoquidem contra eam bene prolixum æddiderit ipse librum. Contra quem et ego protinus librum 18. articulorum ædidi, huncq; ab eo uisum & lectum fuisse Ingelstadij, ipsius Typographi testimonio didici.

Vbi utiq; circa ultimum articulorum, quo incestus criminis reus agitur, non solum a me,

sed

sed etiã a longe doctißimis et disertißimis uiris, D. Stephano Episcopo Vintoniensi, & D. Bartol. Latomo, quàm plurimis testimonijs conuincitur. Sed cauilletur & iactitet mendacißime ut uelit, negare profecto non potest, hæc in supradicta Epistola mea, uerba ad Principes & status Imperij haberi, et ab ipso lecta esse, Nempe, quòd paratus sim, sub quocunq; Capitis mei periculo, cum Bucero isto, sub certis Iudicibus ad hoc deputandis, experiri de iure: Et pœnam subire Talionis, nisi conuicero eum, Deo propicio ac bene iuuante, cum de erroribus in fide, tum de criminibus in uita. Quis est enim Incestuosus (ita scripsi ibi ad Principes & status Imperij) maritus iste, ut incircumcisus ac pollutis labijs improperare ausit errores Ecclesiæ, Columnæ & firmamento ueritatis? Et tantum sit obiter de malignitate & mendacijs Buceri dictum.

Incestuosus & sacrilegus Bucerus.

Vidi præterea & alium hoc anno æditum Teuthonice libellum, superbißimi cuiusdam Cõcionatoris: qui cum sit sutoris filius, Vitum Theodericum se uocat: & immemor prouerbij, Longe ultra crepidam sutoris, audacißimæ temeritatis suæ Iudicium: contra idem Concilium Tridentinum, ad populum proferre non erubuit. Usq; adeo sane procax est, & ad omnem rebellionem

Superbus & Indoctus Concionator Vitus Theodericus.

contra Papam & omnem Ecclesiæ Catholicæ statum, procliuis & contumax, ut senatus illius urbis (cuius nomen honoris causa hic subticeo) authoritate interdictum ei fuerit (saltem & tempus) concionandi munus. Quam indocte autem argumentetur, ex his paucis eius uerbis, quæ ex prolixa eius libelli nugacitate breuiter excerpsi, Erasme mi Charissime, facile intelliges.

Suermerica uerba huius Viti.

Oportet nos (inquit) hic paululum cum nostris Aduersarijs Papistis agere de Doctrina, ut nobis doctrinæ suæ fundamentum ostendant, sicut nos ipsis facere (Deo laus) & possumus & uolumus. Principalis ergo articulus Christianæ doctrinæ est, quomodo ad remissionẽ peccatorum & uitam æternam peruenire ualeamus. De quo sane hæc est nostra sententia, quòd remissionẽ peccatorum consequamur sola fide in Christum. Et infra.

Quapropter uniuersa opera, quæ ad salutem conducibilia ab hominibus reputantur, quantumuis secundum se sancta sint, damnamus: & pro peccatis tenemus, per quæ Deus magis ad iram prouocatur. Hanc nostram (inquit) confessionem & fidem damnat Papa, & præsertim nuper inceptum Concilium Tridenti criminatur hæresim esse, & anathematizat omnes, qui do-

cent

cent aut credunt, nos sola fide iustificari. Nam *charitatem & spem adesse oporteat, & bona opera quæ fidem faciant uiuam: quia sine operibus fides mortua sit.* Nos *autem (inquit) maxime contendimus, solam fidem esse scaturiginem, e qua* Charitas, *spes & omnis uirtus proueniat, sed inde nondum sequitur, etiam si* Christianus *has uirtutes, utpote charitatem, spem, & bona opera habeat, quòd per hoc ad gratiã uenerit, et saluus fieri queat.*

Et infra. Propheta *ait, Populus ut fœnum est, fœnum exiccatur, flos decidit: uerbum autem* Dei *nostri manet inæternum. Si ergo uerbum manet inæternum, manent & illi inæternum, qui uerbum audiunt.* Et *rursus.* Papistæ *autem dicunt libere ac palam, hæresim esse, saluari nos fide,* Neminem *posse de salute sua certum esse,* Oportere *nos dubitare, alioqui cadimus ex timore* Dei, *& reddimur præsumptuosi.* Tales Christianos *uolunt facere* Tridenti *noui* Papæ Apostoli *&* Prophetæ, *qui* Deum *summe blasphemant, et uerbum eius pro meris mendacijs & fabulis habent.*

Contra hanc sectarum cõfidẽtiam uide Hiere. c. 7.

Non negamus nos saluari fide, sed sola fide.

Nulla enim hic (inquit) differentia est, Cum *extra uerbum, neq; iustitia sit neq; salus: & nos uerbũ habeamus, oportebit nos aut credere, quòd habeamus æternam iustitiam & salutem, aut*

Phantasticum argumentum.

dicere, quòd uerbum Dei *sit falsum & incertum.*
Si autem dixeris (sicut & dicere te oportet, si
Christianus esse uelis) te habere æternam iustitiam & salutem, oportebit te dicere (sicut et re uera est) te nunc hac hora & hoc ictu oculi saluum esse, & ab omnibus peccatis per Christum liberum & immunem, & sanctum ac beatum filium Dei *&c.*

Non sufficit audire uerbũ Dei.

Phantasticæ autem argutiæ, superbi huius sophistæ, facile repelluntur & dissoluuntur, per hæc uerba Christi, Luc. 11. Beati *qui audiunt uerbum* Dei, *& custodiunt illud.* At *nusquam dicit Christus, aut ulla scriptura (sicut blaterator iste dicit) Si uerbum manet in æternum, manent & illi in æternum qui uerbum audiunt.* Contra*rium uero manifeste dicit ipse Christus* Matth. 7. Non *omnis qui dicit mihi* Domine Domine, *intrabit in regnum cœlorũ.* Item, Multi *dicent mihi in illa die,* Domine Domine, *nonne in nomine tuo prophetauimus &c.* Item, Et *omnis qui audit uerba mea hæc, et non facit ea, similis erit uiro stulto &c.* Quare *non frustra dixit apud* Lucam, Beati *qui audiunt uerbũ* Dei, *& custodiunt illud.* Audi*unt quidem* Lutherani: *sed non custodiunt uerbum* Dei, Ideo *non sunt* Beati.

Quod autem de sola fide contendit Laicus *et*

popularis iste argumentator, tam sæpe ac aperte confutatum est iam pridem, tum a plærisq; alijs huiusmodi sectarum Aduersarijs: tum a me omnium minimo, in complurimis libellis, tam latine quam Teuthonice scriptis ac æditis, tum manifestißime in Minotauro, & in Philippica Tertia: Et ex superabundanti nunc in recens scripto quodam Teuthonico libro Insensißimi per multos iam annos huius nouæ sectæ Aduersarij D. Georgij Vuicelij, adeo ualide ac copiose omnia eorũ effugia occludũtur et confutãtur, ut fortius aut certius de falsitate sua, et de crimine falsi, quo B. Pauli & uerba & sensum corrumpunt ac deprauant, conuinci non poßint.

Confutatio Dogmatis de sola fide.

Neq; tamen desinunt oggannire contra Conciliũ, & superbe atq; impudenter falsum hoc dogma suum ad indoctos Laicos iactitare: tanta sane cum inucrecundia, ut Caluinus ausit in hoc suo contra Concilium libello dicere, Nos nihil in ipsis calumniari, cuius non idem cum ipsis crimen sustineant Apostoli.

Hæc sunt, Erasme candidißime, quæ in Caluini Censuram superbam et iniquam, breuiter et summatim respondere uolui, & ad te transmittenda putaui: ut per te poßint commode indicari R. Domino Ambro. Catharino, Episcopo

 Minoricensi,

Minoricensi, Doctißimo ac Præcellētißimo uiro: Cui uelim abs te integrum procurari exemplum libri Caluinici, quē nuper in Nundinis Francfordiæ uenalem habuit Typogrophus Tigurinus, Zuinglij & Bullingeri scriptis inseruiens, & addictus iam olim.

Cæterum ego alijs nunc mancipatus (ut nosti) studijs atq; negocijs, pleniorem discußionem & confutationem impiæ Caluini censuræ, Catharino potius, qui non solum ingenio & omnipharia eruditione: uerum & librorum copia & scribendi facilitate exercitioq; & industria me longe superat, & omnia melius quam ego præstare atq; efficere poterit, relinquo. Bene uale Ornatißime Erasme, qui ut odio habes impios & impietatem eorum: ita eximius es pietatis amator, piorumq; ac rectè doctorū amicus et hospes, uelut alter Carpus aut Philemon. Ex Castello S. Victoris prope Moguntiam, Die 20. Aprilis, Anno Domini M. D. XLVIII.

Tuus toto corde & animo
Ioánnes Cochlæus.

Idem Cochlæus ad eundem Strenbergium.

CVm tam multa præter intentionem de Concilij Tridentini Calumniatoribus ad te iam scripserim, uisum est mihi opere precium esse, ut Appendicis, uelut Colophonis loco, superaddam summatim Capitula sex librorum Clarissimi atque Doctissimi uiri D. Conradi Bruni, quos uberrima eruditione, iuxta ingenij fœlicitatem laborumque indefatigabilem tolerantiam, scripsit de Concilio uniuersali. Quod sane opus cœpit ille olim aggredi, cum ad primam Concilij Tridentini Indictionem, ab hoc summo Pontifice nostro PAVLO III. promulgatam, missus esset una cum R. Domino VALENTINO Episcopo Hildesheimensi, alijsque in ea legatione Collegis Tridentum, a R. & Ill. Principe Domino ALBERTO Claræ ac fœlicis recordationis Archiepiscopo Mogontino &c. Quod in Germaniam reuersus postea Methodica ratione (qua omnes nostræ ętatis scriptores longissime pręcellere uidetur) Deo bene iuuante absoluit, a nobis propediem prælo Typographico tradendum. Spero equidem hunc eius Elenchum & tibi non fore ingratum, & ad propositum probe accommodatum, eo sane acceptabiliorem tibi, quod uirũ istum etiam de facie tibi notum esse puto. Iterum uale, & hęc omnia placido ac ęquo animo, precor, accipe.

Elenchus

ELENCHVS CAPITVLORVM, E SEX Libris D. Conradi Bruni, De Concilio Vniuersali, Liber Primus.

nem

nem, & partes suas, aliter esse in capite; aliter in membris, aliter in toto corpore Ecclesiæ, & aliter in Concilio uniuersali.

De Concilio Vniuersali, Liber Secundus.

Quæ

12. *Quæ personæ ad Concilium uenire, & eidem interesse poßint, etiam non uocatæ.*
13. *De loco indicendi Concilij.*
14. *De tempore Concilij.*
15. *De modo & forma indicendi Concilij.*
16. *Quibus ex caußis Concilia uniuersalia conuocanda sint.*
17. *Non esse ex caußis uel nullis, uel leuioribus Concilium Vniuersale celebrandum, nec rursus exigente neceßitate, uel tardius quam oportet, indicendum, uel prorsus intermittendum.*

De Concilio Vniuersali, Liber Tertius.

1. *De authoritate præsidendi in Concilio uniuersali.*
2. *De Iurisdictione Ro. Pontificis in Concilio Vniuersali.*
3. *De authoritate diffiniendi Romani Pontificis in Concilio Vniuersali.*
4. *De authoritate, siue potestate authorandi Romani Pontific. in Concilio Vniuersali.*
5. *De authoritate Concilij uniuersalis, quatenus est corpus, capiti suo, Ro. Pontifici coniunctum.*

De

De Concilio Vniuersali, Liber Quartus.

5. De scientia et prudentia personarū Concilij.
6. De modestia personarum Concilij.
7. De temperantia personarum Concilij.

De Concilio Vniuersali, Liber Quintus.

1. De rebus Conciliaribus.
2. De tractatu Concilij Vniuersalis.
3. De sacris in Concilio peragendis.
4. Quo ordine & processu, res in Concilio tractandæ sint.
5. Omnia in Concilijs ad regulam sanctarum scripturarum & traditionum paternarum esse constituenda.
6. In Tractatibus, atq; diffinitionibus Conciliorum, scripturis Authenticis, ijsdemq; integris, non corruptis, & deprauatis, aut Apocriphis inhærendum esse.
7. De falsis dogmatibus fidei, sacramentorum, Cæremoniarum, et politia Ecclesiæ, in Concilio damnandis: & ueris & Catholicis uel constituendis uel renouādis, et confirmandis.
8. De schismate in Concilio tollendo.
9. De Idololatria in Concilio destruenda.
10. De diuinationibus in Concilio abijciendis.
11 De superstitiosis obseruationibus in Concilio tollendis.

De hæ-

De Concilio Vniuersali, Liber Sextus.

Finis Libri Sexti & Vltimi,

Laus Deo.

De Cæremonijs, Liber Vnus.

De Cære-

De festiui-

E.D.Con. Bruni De haereticis et schismaticis, Libri Sex.

Capita Libri Primi.

De Hæreticis, & Schismaticis, Liber Secundus.

piendis prouentibus Ecclesiasticis, committuntur.

6. *De calumnijs hæreticorum & schismaticorum.*

7. *De crudelitatibus hæreticorum, quas sub prætextu iustitiæ, in iudicio, & extra iudicium, per uim, incendijs, rapinis, carceribus, uinculis, mutilationibus membrorum, alijsq; uarijs generibus tormentorum & suppliciorum in Catholicos exercent.*

8. *De crudelitatibus hæreticorum, quas in relegandis in exilium Episcopis, sacerdotibus, Clericis, alijsq; Catholicis exercent.*

9. *Hæreticos & schismaticos, nulla neq; ætatis, neq; sexus, neq; dignitatis habita ratione, in Catholicos sæuire.*

10. *De crudelitatibus, quas hæretici non solum in Catholicos sed etiam eorum coniunctos, & fautores, exercent.*

11. *De iniurijs, quas hæretici & schismatici, tam legibus quam legum latoribus inferunt.*

12. *De iniurijs & calumnijs, quibus hæretici & schismatici, iudicia, & iudices, omnesq; adeò iustitiæ & honestatis amatores, persequuntur.*

13. *De calumnia & sæuitia hæreticorum, quas exercent in mortuos.*

De Hæreticis, & Schismaticis, Liber Tertius, Qui est de remedijs, quibus hæreses, & schismata, ex ira iudicium sedantur, et extinguuntur.

De

5. De officio Episcoporum in causa hæresis, ante indictum Concilium.

6. De satisfactione eorum, qui ad communionem Ecclesiæ recipiendi sunt, & quomodo hæreses, & earundem authores, damnare, & abiurare debeant.

7. Hæretici redeuntes, an ad pristinas dignitates recipi, & in receptis ordinibus retineri, uel ad sacros ordines promoueri possint?

8. De admonendo Imperatore, alijsq; Regibus, a Ro. Pontifice, & alijs Episcopis, ut & ipsi ad extinguendas, suborientes hæreses, officium, authoritatemq; suam interponant.

9. Quæ sint partes Imperatoris, Regum et aliorum Principum, contra hæreticos & schismaticos, ante indictionem Concilij.

10. An Principes unicuiq; ut quicquid uelit credat, liberum permittere possint.

11. An Episcopi Catholici, alijq; fideles, in controuersijs Catholicæ fidei tempori ut dicitur inseruire, & de fide aliquid remittere possint?

12. De disputationibus & colloquijs, in causa fidei & Religionis, an Catholicis permissa, cum hæreticis, a quibus instituantur: Quarum personarum sint, & qualium, & quot

numero, Quis locus colloquijs idoneus, quæ forma & processus colloquiorum, An ad hæreses & schismata tollenda utilia.

13. *Colloquia quibus hæreticis cognitio, & interpretatio scripturarum permittitur, impia esse, & à Catholicis uitanda.*

14. *Colloquia, quæ in id fiunt, ut controuersiæ de fide, inter Catholicos & hæreticos, in præiudicium Catholicæ fidei pactis, & transactionibus componunutur, impia esse & Catholicis omnibus modis declinanda.*

15. *An rata sint pacta, conuentiones, & leges, quibus hæreticis & schismaticis pax & securitas, ea conditione permittitur, ut qui eos offenderint, pœna fractæ pacis teneantur.*

16. *An rata sint pacta, conuentiones, & leges, quibus hæreticis permittitur, ut Ecclesias habeant, & reforment, earundemq; bona possideant, & administrent.*

17. *An rata sint pacta, conuentiones, & leges, quibus lites Ecclesiarum aduersus hæreticos, & schismaticos in iudicio uel motæ, uel mouendæ, uel in totum tolluntur, uel ad tempus, uel in perpetuum suspenduntur.*

18. *An rata sint pacta, leges, & rescripta, quibus hæreticis & schismaticis permittitur,*

ut iuris

ut iurisdictionem aliquam, uel administrationem, uel soli uel una cum Catholicis exerceant, alijsue publicis muneribus fungantur.

De Hæreticis & Schismaticis. Liber Quartus, Qui est de iudicijs, in causa hæresis & schismatis.

de

de hæresi suspectos procedendum sit.

12. An noua sententia condemnandi sint, qui in hæresim non nouam, sed prius legitimè damnatam inciderint?

13. De degradatione Clericorum, qui in causa hæresis condemnati sunt, & quomodo Curiæ seculari tradantur.

14. De authoritate & officio Principum, & potestatum secularium, in puniendis hæreticis.

15. An Iudex secularis in causa hæresis, de processu, & uiribus sententiæ Iudicis Ecclesiastici cognoscere possit?

16. An in causa hæresis à Iudicum sententia liceat appellare?

De Hæreticis, & Schismaticis, Liber Quintus, Qui est de pœnis hæreticorum & schismaticorum.

An bona

5. *An bona hæreticorum iuste à Catholicis uendicari, & poßideri poßint?*
6. *De publicatione bonorum hæreticorum.*
7. *Hæreticos omnibus priuilegijs, honoribus, & beneficijs iuris destitutos, & eorundem esse incapaces.*
8. *De infamia hæreticorum.*
9. *Hæreticos ab omnibus publicis officijs, esse repellendos.*
10. *Hæreticos intestabiles esse, & ab omni succeßione, et liberalitate repellendos, nec aliquam contrahendi facultatem habere.*
11. *Hæreticos ab agendo & accusando, item à testificando repellendos: ad respondendum autem in iudicio, compellendos esse.*
12. *De pœna perpetui carceris, & exilio hæreticorum.*
13. *An de hæreßi condemnati ultimo supplicio affici poßint?*
14. *De diffidatione, & Banno hereticorum.*
15. *De pœna suspectorum, de hæreßi se non purgantium, relapsorum: item credentium, fautorum, et defensorum hæreticorum.*
16. *De pœna ciuitatum, et communitatũ in quibus hæreses fouentur.*
17. *De hæreticis etiam post mortem excõmunicandis,*

De Hæreticis & Schismaticis, Liber Sextus, Qui est de cautionibus, quibus prouidetur, ne hæreses & schismata, uel noua oriantur, & subnascentia inualescant, uel semel extincta renascantur.

De scholis